Vendum eius primatū sub salutis meæ periculo, id quod ex sententia Hieronymi conuincit. Porro q̄ Hieronym⁹ in ea sit sententia, ut credat Petrum quinq; & uiginti annis Romæ sedisse, Egesippus fortasse fidem fecit, quod quidē facile potuit, cū hie nulla scriptura periclitaref, idq; hac ex gratia credit propensi⁹ us, q; hoc noīe plus se speraret promoturū in suo themate p̄ sua dendo. Qui si hinc fenestrā apertum iri præuidisset, qua nihil nō post ausuri essent pontifices in gregem christianū, sermonē suum diligentius moderatus fuisset. Nihil enim minus uoluit uir ille, q; ex opinione nobis articulum fidei statui. At proprius Christo cōsulerēt ecclesiæ magnates, si (quod Augustini atate Regio quæ factū legimus) quālibet regionē in suo permitterent sensu ab, bet in sensu es undare, ut cū Paulo dicam, in ihs maxime rebus, quæ Euangeli, set reuinquen⁹ cæ doctrinæ non aduersarent. Quod si fieret, nō coorirent tot uerborū pugnæ inter theologicæ rei p̄fessores, ob fumi subinde umbram corrixtantes, nō nūc capit̄ accererent, qui de Petri primatu audeant probabiliter dubitare, non deniq; tantum esset negocij in moderanda republica Christiana, dum id regum & principum interesset cauere, in quem usum & gladium gestant, ne turbaretur inde status rei publicæ, ne pacis studium intercederet in quietorū hominum opera, qui offendiculū pone rent fratribus. Cæterū, q; hic non perinde facile Hieronym⁹ ab incōstantiæ, imo repugnantiæ nota eximatur, non est necq; nouum, neq; admirandū, ut qui nullū hīc suspicatus periculum, id quod & alibi fecit, nihil pensi habuit, quid hæc cū ihs quæ ante multos fortasse annos scripsisset, cōuenirent. Nec hominis esse puto, tam multa scribentis, ut sibi perpetuo constet sui manens similis, nisi diuinī numinī peculiari donetur beneficio. Qua propter, quicquid ex Hieronymo citas, non potest eam facere fidem ut necessario adsalutē credēdus Romanus sit Petri pontificatus suspectæ cū sit fidei in citandis historijs toties uidelicet lapsus. Nam ut pauca dicam, Pugnantia scribit Hieronymus, cū nunc dicat, Adamū in Caluaria monte sepultū, a cuius calvaria & nomen monti inditum adiungit. Nunc in hebron tumu-

C ii

## APOLOGIA

latum sentiat, quæ est Cariatharba, huius locus est in epita-  
phio ad Euystochium, Illius in epistola ad Marcellam, ut cōmi-  
gret Bethleem. Modo itē in epistola quæ ad Euagriū est, astru-  
it Iob de stirpe Esau oriundū. In genesim uero diuersum sentit.  
De Nachor Abrahami fratre descendere. Quid mirū si uir tan-  
tus hic errauit, qui ex pietate multo insignius lapsus est, mēda-  
cium Paulo obſſententiā Petro, tribuens. Et facile Hieronymi cū  
Egesippi ſententiā ſubſcriberēt omnes. Nisi uideremus ex hac  
recepta opinione, natam desolationē illam, quæ stat in loco san-  
cto. Cuius imaginē etiā tu in calce libri tui oculis omnī subie-  
cisti uisendum, his uerbis. Nusquā alibi uita Christianorum,  
Christo magis aduersat, q̄ Romæ, atq; id quidē inter ipsos ec-  
*Ex libro Rof- fensis de ui- tysi Romano-*  
clesiæ proceres, quorū conuersatio, plusq; ex diāmetro, cū Chri-  
ſti uita pugnat. Christus enim paupertatis amator erat, illi pau-  
pertatem uſcq; adeo fugiunt, ut nulli rei ſtudeant magis, q̄ diui-  
tij accumulandis. Christus huius mundi gloriā auerſabatur.  
Illi pro captanda gloria, nihil non patiūtur, et agunt. Christus  
deniq; ſeipſum crebris ieunijs & orationibus affiduis uehemē-  
ter afflixit. Illi nec ieunāt nec orāt, ſed luxui libidinibusq; toti  
ſunt dediti. Sed & iđem, cunctis qui ſyncere christianeq; uiuūt  
maximo ſunt offendiculo, quippe q̄rū mores a Christi doctri-  
na tam aliena ſunt, ut per eos Christi nomen in toto orbe bla-  
phemet. Hæc de morib⁹ Romanorū adducta, uera eſſe confir-  
mas mi dñe Roffensis. Quod ſi omniō in ea obnixe manes ſen-  
tentia, ut hic certam fidem habeas diuo Hieronymo. Quid nō  
eide credis uaticinanti. Antichristū in Romana urbe regnatū  
rum, adeoq; in ipſa ecclesiā, id quod probat in undecima qua-  
ſtione ad Algasiam. Quid nō credis item eidem in cōmētarijs  
ſuis ſup Zachariā undecimo capite ſcribenti, Illū eundē Antī-  
christū futurū ſtultū illum paſtorē, qui derelicta nō eſt uifitatu-  
rus, nec diſpersa quæſiturus, ut repondeant ſcripturæ ſibi. Non  
enim alibi teste ſcriptura uifuri ſumus abominationē defola-  
tionis, niſi in loco sancto, quē Apostolus templū dei appellat,  
in quo ſeffurus filius ille ſceleratus, ſub mundū occidentē ſeſe

*Antichristum  
Rome regna-  
turū, prædi-  
xit Hierony.*

## ADVERSVS ROFFENSEM

Ostentabit sublimandū, ut uideatur supra numen dei.

Reliquæ Roffensis responsones quare p̄termittant̄.

¶ Se quenribus tuis responsonibus respondere nō est animus, q̄ ex hac tua causa, uel perorata, uel negata, nihil pietatis studiosis bona frugis accrescat. Deinde q̄ quæstiones magis præbent, quā ædificationē dei quæ est per fidē. Quare obsequēdum est potius Paulo, Tímotheo scribenti, ut recisis supuacaneis disputationibus, ad fidei & cōpendiū longam uerbositatē contrahamus, ne nō putatis perplexarū & inutiliū quæstionū spinetis, male secemus sermonē dei, cum ea solū sint p̄ponēda, quæ ad Euangelij pietatis negotiū pertineāt, nam nō sine suo magno malo dīdicit Christianismus, q̄ gliscant semel recepta humana dogmata, uirus mittentia in Euangelicæ doctrinæ puram lucem. Siquidē non aliter serpit q̄ cancer in animas hoīm humana traditio, fidei occupās rationē, donec exitium adferat, id quod in Romano pontificatu humanis legibus & populī cōsensu admisso fecimus palam, utpote a quo sic labefactatum est uerbi diuinī ius & autoritas, ut ad homines, ea quæ uerbo debebantur, sint delata, quādo quidē æterna poena & hæreseos nota ijs intentatur, qui citra delectū quibusvis Romanorū pontifi cum traditiōibus, nō subdant album calculū. Quod Petrus Roma sit cruci affixus, quid ad me: quando per eum nō sum liberatus, sed per Iesum Christū Hierosolymis crucifixū, p̄ cuius uerbum & doctrinam salus est, in cuius mortem baptisati sumus.

Quæ deinde in alijs Responsonibus adducis, ex dubijs coniecturis, & ratiocinatiō humana colligunt̄, in quibus subinde causarī incertum Pauli animū in memorādis collegis suis. Et hæc quid ad scopum cōtingat, nescio. Stauisti enim nobis hoc ceu articulū quendā fidei p̄suadere, Petru Romæ uixisse, id qđ nō nisi p̄bationib⁹ erat faciundū, quandoquidē, quæcūq̄ citra scripturā canonicā scriban̄, mentib⁹ nostris fidem non extorquent quæ dei uerbo ultro offerri debet. Miraris alicubi quō Veleni sagacitas hunc errorē in Paulini literis deprehendere potuit, quæ ueterum doctorū nemo, quorū splēdidissima tamē

Humanæ traditioē corrupte uangelica puritatē

Nihil ad christianū p̄tinet ubi Petrus fit crucifixus.

Roffensis respōsiōes unde sint collectae.

## APOLOGIA

Ingenia Paulum & diurna & nocturna manu uersarant potuit  
 animaduertere. Mirari licebit eadem ratione Apostolorum im-  
 modicam ingenij stupiditatem, quib⁹ semel atq; iterum uerbū  
 domini de passione & resurrectione prædictū etiā num a Chri-  
 sto passo occultum permanisit. Sic necesse est ut impleant scrip-  
 turæ pphetarū, quæ pseudoprophetas in fine seculi uenturos  
 præcīnuere, qui in noīe suo sese uicarios Christi mentiarentur,  
 dicentes, Ecce hic est Christus, Quod nos damus sanctum est.  
 Afferte nobis hostiā & uictimas. Vos uideritis an nō hec blas-  
 phemix completa sint in papatu. Non nouum erit, si nunc  
 Christo Antichristus comperiat succedere, adeo ut opus sit nūc  
 Helic spiritu, qui conterat ceruices hominū sensu carnis suæ in  
 flatorum, quo coueriant corda patrum in filios, & filiorum rur-  
 sum in parentes. Cum in synagoga Iudeorū ipsius dei præco-  
 nio cōmendata, Aaronis sancto sacerdotio successerit perfidus  
 & impius pontifex Caiphas, quod quidē non alio consilio per-  
 missum uideri potest, q; ut maiore gloria Christus uerus anima-  
 rum nostrarum Episcopus, & totius ecclesiae, nō mentitus pa-  
 stor, suam illustraret, abstersurus maculā & rugam, quibus ab  
 impijs præsidibus & carnalibus studijs fide esset contaminata;  
 Iam ut ad te reuertar, Chrysostomi & Hieronymi ætate non ti-  
 mebatur hic blasphemus error, de imperioso pōtificatu Roma-  
 ni antistitis, unq; in ecclesiam Sophistarum & Hypocitarum  
 opera irrepturus, non ea sanctis uiris inquirendi studiosiore di-  
 ligentia patesiebat fenestra, quæ hodie tandem patefit. Si audi-  
 re iuuat egregium præconem Romanx sedis, adito diuum Hie-  
 ronymum libro septimo ca, uicesimo primo, super uerbo occur-  
 rentes in Esaïam, & uidebis, quam iusta sit uobis triumphandi  
 causa. Porro, quoniam uideo te magnopere delectari solutio-  
 ne per locum ab autoritate negatiue nihil probātem. Cogor &  
 ipse sic tuo mutuato gladio ratiocinari. Quicq; dnon est prodit-  
 tum nec ab Apostolis, neq; a prophetis, neq; ab Euangelistis  
 non est ad fidem nec ad salutem necessarium. At Petrum Ro-  
 mæ crucifixum, est id quod non est proditum aut ab apostolis,

Antichristum  
 Christo succe-  
 dere non eſſe  
 nouum.

## ADVERVS ROFFENSEM

aut a prophetis aut ab Euangelistis. Conclude domine presul.  
 Maior patet, Ioannis ultimo, ubi de Euāglio suo concludens.  
 Hæc, inquit, scripta sunt, ut credatis, & credentes uitam habeatis. Satis igitur sunt ad obtinendam uitam, ea credere, quæ Ioannis seculo canonice erant, prodita. Confirmatur per Apostolum ad Gala, primo, & per Hieronymum psalmo octogesimo septimo. Assumptio uero dicti Epicherematis patet, tam per Veleni assertiones (cui suffragatur ut audio Marsili⁹ quidam Patauin⁹ in suo pacis defensore) q̄b per tuas, Cōsequentia formam scho/ Ix in Fe r i o ualere attestant̄. Quod dico potificibus negatum illum fidei articulum condere, aut sacramentū nouum instituer. Nolo credas, Nisi hic, Romanū pontificem Adrianū sextum inculpati noīs uirum, habeam assertorem, in titulo de sacramēto baptismi, qui in hæc uerba ueritatē prædicat, Ecclesia, inquit, non potest nouam formam baptismi, aut alterius sacramēti instituere, aut institutā, quoquis modo mutare, patet, quia filius dei est, animam a peccato liberare. Iuxta illud Esaïæ, Ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me. Vnde nouerit ecclesia, se non esse dominam sacramentorum, sed ministram, nec posse magis formam sacramentalem restituere, aut nouam instituere, q̄b legem aliquā diuinā abolere, uel nouum aliquem fidei articulū instituere, qui aliter, non est de fide. Hactenus Mōdernus pontifex. Cuius dicti sui ueritatem, si perget in hoc primum sumpto pontificatu tueri, nunq̄ futurum est, ut aut Velenus, aut quicunq̄ alius, cōdemnetur hærefoes, q̄b induci ad credendum ne queat Petri apud Romanos primatum, cum nihil ad fidem attineat, siue credatur, siue non credatur. Sed spero fore, si ille perficit in iam dicta sua sententia, ut tota catholica ecclesia, quæ nunc in sectas uidetur diuisa, in unam fidei unitatem aggeretur, adeo, ut & Bohemos & Græcos dexteras datus confidam, bene præsidenti Romano Pontifici, quādo per hæc nostra innotuit, omnem diuisionem subortam, nō nisi ex neglecta, aut ignorata superiori sententia.

Marsilius P<sup>4</sup>  
tauinus.

Adrianus sex  
tus Pontifex  
Romanus.

## APOLOGIA

De Apostolorū passionibus & corporib⁹  
quare ita uariant historiæ, & tanta sit  
de eis incertitudo.

**C**Postremo non s̄ine mysterio factum est, ut de Apostolorum passionibus & corporib⁹ uita exutis, tantū uariarēt histoi⁹ tātaq; esset incertitudo. Sicut nō s̄ine archano cōsilio dei sanctum Moysi corpus abditum est, ne Iudei qui more hominum prioniores ferebantur in Idololatriam & creaturarū honorē, q̄b⁹ ipsius creatoris, illius corpore abuterētur supstitionis religione, id qđ nunc passim usu uenire uideamus. Consultissimū est itaq;, ut unī Christo Hierosolymis pro nostri iustificatione morti ad iudicato, credam⁹, & adhæreamus, cōiecta in illum spei nostræ certissima tutissimacq; anchora. Parcentes interim tam seditionis & fruolis quæstionum pugnis, ne per Paulum a Christiana unitate ejiciamur, qui dicit se eiusmodi consuetudinē non habere, ut uelit cum contentiosis contendere, uetus enim & alibi ne quis in hominibus gloriaretur, iactans se Cephæ aut Pauli nomine. Quare potius uno ore glorificemus deū patrē & seruatorē nostrū Iesum, qui est benedictus in secula, Amen.

Hæc sunt reuerende presul Roffensis, quæ paucis occurtere pro componenda cōmuni causa dicenda, Dignitas tua hæc non grauetur quæso comiter interpretari. Si quid dictum videbitur acerbius, ueritatis impulsui, non mihi imputato.

Vale.

Iulio Mense Anni. M. D. xxij.

# PISTOLA CVIVSDAM SACRA

RVM LITERARVM STUDIO

Si responsiua, tractas de Pōtificij mun  
neris functione, & autoritate  
superiorū in subditos &  
subditorū in supe  
riores obe  
dientia.



ECTIS tuis literis Charissime con  
frater mirum inmodum sum delecta  
tus, q̄ diuini uerbi lectionē resiperet,  
& Christiani pectoris ardorem præ se  
ferrēt. Quoniā ex nostris literis supe  
riorib⁹ arrepta fortassis scribēdi anfa,  
indicasti, quid rectorū imperijs sit de  
ferendum (quo & ego hīc meam tibi libere mentem aperiā)  
statuere est animus, quæ ueræ sint Pōtificij munieris partes,  
tum quatenus Pontificum scita arctēt Christianos. Deinde  
quid magistratus nomine plebeis hominibus imponi pos  
sit, aut certe iure debeat Principum titulo & nomine. Postre  
mo ferendam esse quorumcūq̄ magnatum tyrannidem, &  
imperijs temere non esse reclamandū, quatenus ratio Euan  
gelij per tolerantiam afflictionum non periclitetur.

¶ Principio igitur, Christus legis ueræ instaurator, immo  
ipsa uitæ lex, Pontificum autoritatem statuit, cum dicit: Sup  
cathedram Mosi sedebūt Scribz & Pharisæi, quæ dicunt, fa  
cite. Et alibi: Qui uos audit, me audit, q̄ uos spernit, me sper  
nit. Bene dicit seruator: Super cathedram Mosi sedebunt, Se  
dendo enim super cathedram (secundū Aug.) legem Dei do sup cathedralē  
cent, ergo per illos Deus docet. Sua uero illi si uelint docere. Moſi sedere  
nolite audire, nolite facere. Quæ dicunt igitur sedētes super quid sit.  
Cathedram (id est secundum legem dei iudicātes) facite, nō

Summa dicen  
dorū, quadri  
partitas ca  
pit partes.

D

## DE POTESTATE

quia ipsis ita est uisum, sed q̄a a solo deo proficisci, qđ quasi  
per manum sacerdotis imperatur. Quid enim loquitur, q̄ ex  
*Pastor & epi*  
*scopus docēs*  
*sua, nō docet*  
proprijs loquitur, q̄ memdaciū. An non omnis homo men-  
dax, & uani filij hominum, mendaces filij hominum? Quā-  
obrem pastoribus sui gregis, ait Christ⁹: Ego dabo uobis os  
& sapientiam, nō uos estis qui loquimini, sed spiritus patris  
uestri, qui loquitur in uobis. Paracletus spiritus quē mittet  
uobis pater, ille uos docebit omnia. Et dabitur uobis in illa  
hora quid loquamini. Et apud Prophetam: Dominus dabit  
uerbum bona nunciātibus uirtute multa. Quis quis ergo nō  
doctet legem domini, non sedet super cathedram Mosi, proin-  
pcathedrā,  
nec est audiē  
Pap⁹ nudam obīci personā, quasi hoc unum satis sit qđ no-  
bis fidem facere debeat, diuinum esse quodcūq; præcipiatur,  
quando & nomē, & titulum, tum gloriam & personam cu-  
iūsuis etiam angelī, nedum Pap⁹ aut hominis, pro laruatis  
laruīs despicio, ubi uerbum bonum non eructant, ubi uerba  
uit̄ non sonent, ubi sola se se persona & titulo iactant, & au-  
toritatēm quālibet statuēdi hīs fūcis sibi traditam uideri uo-  
lunt, quando & Christus hāc omnia in Iudea proditoris apo-

*Angelorū re*  
*ligio, non est*  
*reuerenda si*  
*ne uerbo, ne=*  
*dū primatus*  
*Pap⁹ homis.*  
stolatu despexit, & Apostolus angelorum religionem nihil  
quicq̄ reuerendam, nisi apostolatu fungantur Christi, idq̄  
adeo ut anathema uelit esse huiusmodi faciebus & personis  
cōmoueri pios, tantum abest, ut externos fucos, uanum splē-  
dorem, tragica uerba, gentilicias Rabbinorū adsalutationes  
quicq̄ momēti habere credam. Neq; erroneā hic refero con-  
scientiā, hāc ita esse, mihi meridiana luce clariore exemplo  
Apostolus cōmonstrat, q̄ in faciem ausit, immo coactus sit,  
resistere Petro eti primas omniū consensu tenenti, q̄ non  
synceriter ambularet, q̄ reprehēsibilis esset, attestans, deū p-  
sonā hoīs non accipere. Cui autē non est p̄spicuū, Pap⁹ titu-  
lum, doctrine existimationē, sciētiā famā (si sola cōsideren̄,  
& nihil p̄ter inanē harum rerū strepitū aures tuas feriat) esse

## PASTORVM ECCLESIAST.

mere personalia, & deo nihil respiciēda? Quid ergo obsecro protinus uerū putamus cítra delectū quicquid hæ laruæ hæc simulachra, adde & Idola, uelint (nō interrogato ore dñi) scribant, mandent, decernāt, p̄ter uerbū, quod unum audiendū p̄cipit dominus, filiū suū nobis cōmendās e supernis; Hic est solum patris filius meus dilectissimus, in quo mihi bene complacitū est, ipsum audite, non Papam, nō Pontificē, non legislatorē hominem, nisi hunc ipsum doceat filium, Sic seruator apud Iohannem: qui audit uerbum meum, inquit, & credit ei qui misit me, habet uitam æternam.

**C**Apostolus, nō uno loco, cōmissō sibi a domino Euangelio, fidem habendā prædicauit, nō personæ suæ, nō opinio ni sui nominis, quando hoc uno titulo gloriosus uideri uoluit, q̄ ministerum tantum expressit, q̄ legatione Apostolica functus esset, q̄ p̄conem egisset cui credidisset. Quid euim gelio, est Apollo, inquit, quid Cephe, q̄ ministri eius, cui credidistis? Ego plantavi, Apollo rigauit, dominus autē incremetū dedit. Necq; qui plātat, est aliqd, necq; qui rigat, sed qui incrementū dat. Videat Episcop⁹ Romanus qua fronte se sanctitatis, immo sanctissimæ sanctitatis encomio celebrari patiat, a suis palponibus & pestilentissimis gnatonibus, quādo ipsum Christi organū, sibi nō permittit aliquid attribui præter ministeriū. Quare cum de uirginitate sermo incidisset, quæ manorū Episcop⁹ alioqui per se laudata est sati, hic tamē ueritus est, præcepti scopus a nomine, uirginitatis obseruāda rationē statuere, tantū dicit, de uirginibus præceptū nō habeo, consiliū autem do, ueluti anxius & sollicitus, ne septa commissi Euangeli⁹ uel ad latum dīgitum transiliat. Alias ubi hoc nō reueretur, fiderenter pronūciat: Nō ego dico, sed dominus: Puto q̄ & ego sp̄iritū dei habeā. Qui uobis aliud nunciauerit, q̄ prædicauit uobis, execratio sit. Carterū apud Corinthios coactus per noxias pseudoapostolorum persuasiones, p̄io certe studio, sui agere preconiū, mire laborat, ne qua fiat, ut Euāgeliū Christi male

## DE POTESTATE

audiret, q̄ non defuissent, qui criminarentur Paulum non posse cum his qui maximi haberentur gloria & laborum insignijs decertare. Et tamen tantū abfuit, ut sese uendarit p ea quæ Euangelij gratia perpessus esset, ut studiorum & laudum cōmemorationē insipientiā ingenue coram fateretur: Insipiēs, inquit, fui uos me coegistis. Cessent ergo & ne uel semel quidem mutiant palpones Papistici nominis, quippe in quo ne minimam quidem Paulini triumphi portionem deprehendere possint. Tantum ueritas Euangelij enarretur, fidei modo negocium celebretur, & ceruicem nostram Christo, & per hoc Papæ Christi Legato & fido dei ministro sumus actutum inclinaturi.

**Apostolus est** ¶ Seruator Apostolici nominis gloriam obtenturos pol, qui manet in licetur, qui permanerint in sermone suo. Nam quem Deus sermone pa= misit, nō potest nō uerba dei loqui. Extra disciplinā ergo est tris. patris, cuius sermo cum uerbo patris non recte coit. Cucurre runt, inquit, & ego non misi eos. Ipse uerus & longe optimus animarum nostrarum tum pastor tum Episcopus, de se testatur: Verba quæ ego loquor, non sunt mea, sed eius qui misit me patris. Et filius hominis nō potest quicq̄ facere qd nō uiderit patrem facientē. Hoc ipsum & recte & uere dixerit Papa, si mandatum & uerbum Papæ nō pugnet cum uerbo patris: Id quod Decretales ad farinas Papisticas pertinen-

**Quando creas** tes, negant. Quo fit, ut ne Angelo quidem e cœlo credendū dendum Epi= pronūciet, si aliud q̄ uerum dei uerbum tradat. Sermo enim scopo.

domini, ueritas est, & mandatum domini, uita æterna. Tum **Apostolus** nobis sui muneris functionem cōmendat: Non audeo loqui aliquid quod per me non efficiat Christus. Et suum ministeriū probe agnoscens & certius edoctus: Non possumus aliquid contra ueritatem, sed pro ueritate. Et postulat, inquit, dedit mihi dominus in extunctionem, non in destructionem fidei. Hoc efficit Christus per te Papa ter sancte, si quod facis, uerbo dei est consentaneū. Ad hanc alibi

PASTORVM ECCLESIA ST.

Scribit Apostolus: Non accepistis sermonem hominum, sed sicut uere est sermonē Dei, qui & agit in uobis credentibus. Quod si quis diuersam sequitur doctrinam, & non accedit sanis sermonib⁹ domini nostri Iesu Christi, & ei quæ secundum pietatem est doctrinæ, is inflatus est, nihil sciens. Quare scribit Tyto: Oportet Episcopum amplecti eum qui secundum doctrinam est fideliter sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sua, & eos qui contradicunt arguere.

**¶** Quibus perspicuum redditur, uerbum domini tatum tradere Apostolum & Pastorem, qui uerus sit Apostolus, q[uod] uerus sit Pastor, alioqui diuersam doctrinam adserenti non erit credendum. Quemadmodū Hieremias docuit secerne, re uerum a falso pastorem. Cum uenerit, inquit, uerbum illius, tunc scietur Propheta quem misit dominus in ueritate. Non uocem suam dicunt amici sponsi, sed gaudio gaudent (dicit Augu.) propter uocem sponsi. Quare apud Hieremiam dicit dominus: Ecce dabo uobis pastores iuxta cor meū, qui pascant uos scientia & doctrina. Filii ergo Syon (dicit Iohel) exultate & lætamini in domino deo uestro, quia dedit uobis dominus doctorem iustitiae. Quisquis Christum nobis docet iustitiam factum, hic doctor est, quē dedit dominus. Quis, quis pascit scientia & doctrina, ille pastor est, Episcopus est, secundum cor domini. De alijs dicitur: Prophetauerūt & nō ex me. Vbi non audio iustitiam, non scientiam, non doctrinam, ibi nec doctorem agnosco, nec Episcopum amplector, nec pastorem suspicio. Quid reliquum est, nisi ut Idola sint muta, uentri tantum suo seruientia, nō Iesu Christo, solo nomine pastores, solo titulo doctores, solo uocabulo Episcopi, qui omnes personarum & facierum suarum fucis, bis misere imponunt populo. Nihil equidem moror bicornem mitram, nihil me mouet splendida insula, pro stercore duco pastore pedum gemmis & obryzo auro obductum. Irrideo heroica nomina, numerosos titulos, magnificos triumphos,

Apostolū &  
pastorem uer  
bū domini cō  
stituit.

Dominus dat  
doctorem tu-  
stiae.

Confutatio fa-  
cierū & lar-  
uarū que ali-  
quid pollicer-  
tudentur.

## DE POTESTATE

quæ tantū facies sunt, & nihil minus q̄ ueri pastoris, ueri epis-  
copi, ueri doctoris insignia, si modo id defit qd unum hæc  
omnia cōmendat, immo tolerat. Verū Mosī dicit dominus,  
Quod ego præcipio tibi, hoc tantū facito domino, nō addas,  
neq̄ minuas. Vbi nūc mare illud uoluminū Pontificiorū, si  
nihil uel addēdū uel minuēdū est a præceptis dominis? Quid  
infinitis illis legibus ut onerosissimis, ita & imp̄issimis uti  
Ecclesia, nisi forte ioculare habeat mandatum, qd sic præceptū  
est Mosī. Neq̄ enī defunt ex canoniciis literis, quæ saluti no-  
stra necessaria forent. Exemplar habeto sanoru sermonum,  
dicit ille. Electa sunt (dicit Augustinus) quæ scriberent, quæ  
salutis hominū uidebant cōuenire, scriptura sancta, est quæ  
canoniciis libris prodidit sp̄ritus sanctus. Interim nō defunt  
qui uel hoc nomine decreta quorumcūq̄ Pontificū obserua-  
da putant, q̄ uoluentibus tot annis & patrum longa obser-  
uatione in præcepta abierint. Sed hæc aduersariorū argumē-  
ta facile eluserit, quisquis secū reputauerit regnum Babylonii  
cum p̄ hoc non cōmendandum, q̄ aliquot seculis steterit. Itē  
apud Esaīā præcepisse dñm: In præceptis patrū uestrorū no-  
lite incedere, iudicia eorū nolite custodire, nec Idolis eorū  
dū in uījs pa= polluamini. Ego domin⁹ deus uester: In præceptis meis am-  
trū, neq; iudi-  
cījs patrū obe-  
diendum.  
Non inceden-  
tū in uījs pa= polluamini. Ego domin⁹ deus uester: In præceptis meis am-  
trū, neq; iudi-  
cījs patrū obe-  
diendum.

**C**Quocirca faciles aures p̄iz Apostoli monitioni accō-  
modatē amicissime cōfrater, non amplius pueri simus, qui  
fluctuemus & circūferamur omni uento doctrinæ, p̄ uersu-  
tiam hominū, quēadmodū Hebræis etiā scribit: doctrinis ua-  
rijs, & peregrinis nolite abduci & circūferri. Intelligim⁹ em̄  
quid a Pōtificibus Apostolorū successorib⁹ atq; ab eo Papa

P A S T O R V M E C C L E S I A S T.

Christi quēadmodū se iactat, Vicario sit aut sperādū, aut pētēdū, nempe dei uerbum, quo, si nos pascant, haud aliter atq; ipse Christus (cuius hic partes agunt uicarias) sunt audiendi. Si uero non pascunt, ex pr̄scripto Petri, eos in cordis nostri tecta recipere nolumus, ne operib⁹ eorū malis & uerbis mēdaci⁹ uideamur alioqui cōmunicare. Quin & iuxta consilium Apostoli, nullū cōmerciū habentes cū operibus tenebrarū infrugiferis, ea potius arguamus. Rogo uos fratres dicit Apostolus, ut obseruetis eos, qui dissentiones & offendicula, pr̄ter doctrinā quam uos dīdicistis, faciunt, & declinate ab eis: Huiusmodi enim Christo domino non seruūt, sed uentri suo seruūnt, & p̄ dulces benedictiones seducunt corda innocentī. Graphice certe & suis quasi coloribus de pinxit Apostolus huius nostrā x̄tatis rectores, qui se doctores & Euangelistas pr̄dicāt. Non uana est Christi pr̄monitio: Cauete uobis, inquit, a fermento, id est, doctrina Pharisæorum, qui sunt quasi sepulchra mortuorū, foris faciebus & p̄ sonis speciosi, intus pleni sunt ossibus mortuorum, & putre turpitudinis cadauer. In doctrina uerbi non est secundū faciem iudicandū, sed iusto sp̄ritus & fidei iudicio. Maledict⁹ qui ponit spem in homine, & ponit carnem brachiū suū, qđ facit, quisquis hac una ratione laudat, suscipit, exosculat, qđ quid tradit Papa, qđ Papa est, id est, qđ homo est, nihil despiciens, prauum ne sit an rectum, quod per eum statuitur.

**C** Vere dicitur, & o utinā non tam uere apud Hieremiā, Quia stulte egerūt pastores, & dominū nō quesierūt, ppter, stultitia pa-  
storū, ḡrex  
disperrgitur. ea non intellexerūt, & omnis ḡrex eorum dispersus est. Item apud Apostolum, Pro eo qđ dilectionē ueritatis non receperunt, in hoc ut salui fierent, propterea mittet illis deus efficaciam illusionis, ut credāt mendacio, ut iudicent oēs qui non crediderūt ueritati, sed probauerūt iniustitiam. Quoniā dicit alibi, non probauerūt, ut deum agnoscerent, tradidit eos deus in mētem reprobam, ut facerent quā non cōueniebat.

## DE POTESTATE

Prophetæ (dicit Hieremias) prophetabant mendaciū, & sa-  
cerdotes applaudebant manibus suis & populus meus dile-  
xit talia. Quid igitur siet in nouissimo ei⁹? Quis obsecro nō  
pituosi iudicij, hoc seculum excutiens, nō uidet uero esse ue-  
riora, quæ cum Hieremìa præcinuit tot locis Apostolus: An  
non uidemus gregem dei dispersum pastorū iniuria & Pon-  
tificum tyrannide⁹ quæ tantum bullatissimis bullis, tyranni-  
cis oppressionibus, Satanicis deuotionibus (pastoribus scili-  
cet armis) in creditam sibi plebeculam deserviunt, grassantur  
& uastatores agunt, uulpibus & lupis longe præsentiores. An  
non manum domini (in quā horrendum est incidere) uide-  
mus super nos, q[uod] uerbum domini ereptum sit a pastoribus,  
idq[ue] iusto dei iudicio, q[uod] nos prophetantibus mendaciū ap-  
plaudimus & auscultamus. Hæc tempora longe ante nobis

*Pastore a mu-  
nere prouersus  
descendētem  
fuscat domi-  
nus stulto po-  
dulo.*

futura minaſ deus apud Zachariam: Ecce ego fuscitabo uo-  
bis pastorem in terra, qui derelicta non uisitabit, dispersum  
non queret, & cōtritum nō sanabit, & id quod stat, nō enu-  
triet, & carnes pinguum cōmedet, nec ungulas eorū dissol-  
uet. Hoc uaticinium impletum ingemiscit quisq[ue] pius. Futu-  
rum equidem uideo, ut anima nostra fame sit interitura, nisi  
e supernis misericordiæ aliquod sydus nobis effulserit, quod  
has tenebras, hanc glauconicam, ab oculis nostris rectorum

*Miseria capti-  
uitatis Christi  
ante.*

mēdacijs præstigiatis, depellat, & lucem restituat, quod hoc  
iugum Babilonicæ captiuitatis post tot annorum secula, uel  
tandem excutiat, quod has pingues uaccas in monte Sam-  
arie calumniam facientes egenis, & confringentes pauperes  
(ut est apud Amos) digno feriat iudicio, qd deniq[ue] hos ope-  
rarios iniquitatis, uentreſ, canes, malas bestias, uentricosos  
uiduarū comestores, aut lumine Beet æterno, aut in tartara  
præcipitet, ne ad unum omnes descendamus ad inferna ui-  
uentes. Libera deus Israel ab omnibus tribulationibus suis.

¶ Iam Apostolicū munus est (quod Christus iniunxit,) pascere gregem domini, ire in orbem uniuersum prædicare

PASTORVM ECCLESIAST.

Evangeliū omni creaturā. Quare audiat, quisquis Episcopatu aut Pastoratu fungitur in terris, Petrum seniorem, qui coapostolos cohortat in hæc uerba: Pascite gregem dei quæ in uobis est (nō sunt ergo Christiani Papæ grex, sed dei adificatio tantum) prouidētes bona nō grauatim, uelutī coacti, & in tristitia, sed spontanee & alacri animo, nihil aliud spe, stantes, q̄ ut negocium Christi q̄ rectissime geratur. neq; id turpis lucrī gratia, quo xratī arcis consulatur. Huc enī quis, quis spectauerit pastor, hoc temporariū quisquis uenā p̄mū Episcopus, ab illo æterno p̄mio & diurno denario (quo cum Christo pactus cōuenit) excidet. Iuxta scitum Seruatoris & domini uinerit: Amen dico uobis, receperunt mercedem suam. Hodie (proh nefas) plures sunt in Ecclesia comedestores & uoratores q̄ operari. A quoru studio totus dis sentit Apostolus, qui non datum, sed fructum requirebat, labore manuum uictum queritans, ne cuiq; oneri foret, q̄q; alioqui iure optimo licuisset eorum carnalia metere, quibus spiritualia seminaret. Hodie tantū nummos aucupant. Salutis Christianæ posterior non dico est ratio, sed nullus, perinde ut Megarensiū (quod habet prouerbium) plane respexit. Omnes enim diligunt munera.

**N**unc Petrum audiamus, qui subdit: Nec dominātes in clero. Per quod liquido testatur, non dominos aut reges esse in subditos magnates Ecclesiae, sed ministros & dispensatores mysteriorum tantum, qualis haberī uoluit Apostolus, atq; adeo primus Apostolus, dicens: Sic nos existimet homo, ut ministros &c. Ex quibus clarere potest, rectores & ministros uerbi accumbentibus longe inferiores esse. Quis enim maior, qui recumbit, aut qui ministrat? Nōne qui recubit? Nunc contra imperant gregis Christiani speculatores, & cū potentibus seculi imperio decertat. Venerat Christus ut ministraret, non ut sibi ministraret, forma serui accepta, quo insinuat, ut quēadmodū ipse ambulauit, q̄ uerus est dominus,

Accumbēs pa pulus, est mi nistrāte p̄re lato supior, iuxta Christi eulogium.

## DE POTES TATE

qui uerus est Episcopus, ita oporteat & ministros ambulare:  
Exemplū humilitatis dedi uobis, ut sicut ego feci uobis, ita &  
uos alter alteri faciat, dicit Seruator. Quāobrem exempla-  
ris sui non nescius Petrus, prosequitur suos cōmonefaciens  
coapostolos, Sic curam agite dominici gregis pastores, ut  
sit exemplaria gregis, ut cum apparuerit ille pastorum p̄in-  
ceps, reportetis immarcessibilem gloriæ coronam. Hei, tuba  
cœlestis, non sine lachrymis memoranda. Expendatur hic  
cum Episcoporum omnium, tum Papæ studia, excutiatur  
uita, examinentur mores; ubi dominici gregis studium: ubi  
Euangelicæ uitæ exemplaria: ubi mores Christiano digni:  
Profecto præpostero ordine & mutatis uicibus, uidebis cum  
cta inuersa, & nihil minus curare Pastores, q̄ ut præsent sci-  
entia & doctrina, tum uitæ sanctimonia. Dominus ubi amo-  
ris ardorem in Petro deprehendisset, & alijs eundem testa-  
tus esset quo in Christum & suas oues incalcesceret, commi-  
sit pascendas ouium caulas, non exugendas, non mactan-  
das, no uastandas, cæterum ius domini sibi uni reseruans.  
Pasturus es autem gladio spiritus, quod est uerbū dei, quod  
unum est & efficax, penetrabilius omni gladio ancipiti, per-  
tingens usq; ad diuisionem animæ & spiritus, compagū q̄q;  
& medullarū. Hunc in quā gladium lego Episcopis traditū,  
quo quicquid asperulum est, dedolarent: quicquid infirmi-  
usculum, cōfirmarent: quicquid confractum, restituerent. Si  
cuius alterius gladij usum habeant celebrem, hunc nō agno,  
scit scriptura, quando & Apostolorum principi recondēdus  
erat ille gladius, quem ultionis & vindictæ cupidus etiam in  
Christi hostes exereret præpostero ordine: suppudet nunc  
Episcopos illius gladij. Huius uero aciem stringunt in frater-  
na uiscera. O digni Pastores.

**C** Ad hæc ex Euāg elio audi Apostolici muneri functi-  
onem, si non grauaris mi frater. Illi autem profecti prædicar-  
uerunt ubiq; domino cooperante, & sermonem cōfirmante

In Pastorum  
huius æui in  
curiam.

## PASTORVM ECCLESIA ST.

per signa subsequentia. Quibus anteç tamē subirent nunci  
andi Euangelij ministeriū, id negotiū iniunxerat dominus.  
Euntes, inquit, docete omnes gentes, baptizate eos in nomi  
ne patris & filij & spiritus sancti, docentes eos seruare quæ/  
cūq; præcepi uobis. Ecce ego uobiscum sum usq; ad consum  
mationem seculi. Intelligitis hæc pastores populi, auditis'ani  
marum Episcopij? Quia nunc audacia & temeritate Aposto  
lorum successores legationis sua terminos prorogates man  
dant obseruandum, non quod Christus in literis sacrī, sed  
quod ipsi ex sese uel quæstus gratia huc impulsī, aut imperi  
tandi libidine affecti, præcipiunt. Si ne ipsis quidem Aposto  
lis licuit extra præcepta dei quicq; docere, cū dicat dominus,  
docentes eos seruare quæcunq; præcepi uobis. Et pensicula  
tius reputa seriem textus. Qui docent seruāda præcepta dei,  
cum ih̄suis est usq; ad finem seculi permanensuris Iesus. De  
quibus & illud accipiendum est: Qui uos audit, me audit,  
qui uos spernit, me spernit. Quapropter si Episcopi uocem  
ni, si gaudetis pastoris appellatione, si christæ surgūt Papat<sup>9</sup>  
titulo, curate esse quod auditis. Nihil minus sunt q; domīna  
tus nomina Papa, Episcopus, Pastor. Pascite (pro uerū pasto  
ris officio) ne quid ouīū famis impatientia concidat. Regite  
(quod p̄sidum interest Ecclesiæ) ne quid a ueris Euangeliæ  
ueritatis pascuis deuiet. Obseruate quigiles excubidores Epi  
scopi, ne quid a lupulis aut uulpeculis uineam domini depa  
scientibus consindat, dilanietur. Inimicus enim ille diabolus,  
ut leo rugiens circuit quærens quem deuoret. Et inimic⁹ ho  
mo, etiam cōmisso terris bono semie, studiosus est zizaniam  
& infelix lolium superseminare. Vigilate ergo cum ueris pa  
storibus in deserto mundi, super gregem uestrum, id est, chri  
stianum populum, maxime noctu cum homines æbris sunt.  
Male enim ualentibus opus est medico. Et relictis nonagin  
ta nouem iustis, centesimam ouem non permittatis exposi  
tam depredationibus.

Christus apoc  
stolis dixit,  
euntes doce  
te eos, serua  
re quæcunq;  
præcepi uobis

Cū q;bus pasto  
ribus maneat  
Christus.

## DE POTESTATE

**C**Nam si quid interim uestra incuria luporum predæ patuerit, aut in leonum dentes inciderit, huius sanguinem requiret dominus de manu uestra. Et ergo recte iubet Apostolus, Obedite præpositis uestris, & subiacete eis, ipsi enim per uigilat, quasi rationem pro animabus uestris reddituri. Nos

**Quare debet** obedientia debemus præpositis, præpositi curam nobis. **Obeditur præpositis** dientiam propter curam exposcit Apostolus. **Vx pastoribus** obedientia.

qui dispergunt & dilacerant gregem meum, dicit dominus apud Hieremiam cap. xxiiij. quo loco uidere licet, q̄ horrenda pastores semetip̄os pascentes tantū, maneat sententia. Et Ezechielis cap. xxxiiij. cum pastoribus de multis expositus

**Hieremias et lat.** Horresco legens & audiens iudicium domini super pastorē. **Ezechiel hor** res domini. Ad illa capita citata uos remitto, quicq; tandem præstis populo, siue pastores, siue doctores, siue Episcopi. Non est mihi integrum omnia dicere, quæ hic dicenti mihi sese ingerunt, quin pleraq; dedita opera sint resecāda & sup primenda.

**C**Sic scriptum est in Numeris: Iratus dominus contra Israel dixit ad Mosen: Tolle cunctos principes & ostenta illos cōtra solem domino, ut auerterat furor meus ab Israel. Durra profecto conditio principum & rectorū, qui non pro delictis suis modo, sed & pro populi erratis depēdere coguntur, si horū uel negligētia uel idulgētia in culpa fuerit, q; populū deliquerit. Peccauit enī Israel, & p̄cipes educunt cōtra solē domino, cui nihil non est apertum, cui nihil non est nudum. Quid enim tam est abditum, quod non orto sole clarescat? Producuntur ad examinandum praesides populi, ut arguātur in luce opera eorum. Hæc si cogitarent homines, nunq; ambitent populi principatum, nunq; Pastorū partes uenarentur, & intercedente ære compararent, priusq; a domino tāq; Aaron in hos fasces, in hoc honoris culmen euocarent. Nā quotquot uenerunt in hos gradus Pontifici muneris nō uocati, teste Saluatore, fures sunt & latrones, aliunde q; p ostiū

**Qui ueniunt  
nō uocati, fu-  
res sunt.**

P A S T O R V M   E C C L E S I A S T,

